



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm V. Ne innitaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tem prohibetur malum; Imò omnia mala legibus vetantur. Id verò inde probatur: Si enim lex prohibet originem, ac veluti radicem omnis mali, sequitur quòd prohibeat omne malum: Atqui lex prohibet concupiscentiam, seu cupiditatem, quæ origo est ac veluti radix omnis mali, testante Apostolo ep. 1. ad Timoth. c. 6. v. 10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Disputant hinc Canonistæ, utrùm leges humanæ obligent sub peccato? Respon. est affirmatiua, cum S. Th. 1. 2. q. 96. a. 4. & constat ex definitione legis, quam tradidi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 14. Quòd sit *recta ratio agendorum, à publica potestate Communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuò obligandi.* Ex quo ita argumentari licet: Omnis propriè dicta lex iustum ac rationabile quoddam magistratûs præceptum est, Communitati, seu multitudini hominum subiectorum, datum: Præceptum autem quodlibet magistratûs, si iustum est, in conscientia obligat subditos ad obediendum, teste S. Paulo Apostolo ad Rom. c. 13. v. 1. & seqq. Ergo &c. Exinde colligitur, quòd regulæ & ordinationes quarundam Religionum per se non obligantes sub peccato, non sunt propriè leges, sed monita quædam: Habent tamen similitudinem quandam legum; partim quia ab habentibus publicam potestatem, propter publicum bonum, ad subditos latæ sunt; partim quia & ipsæ plerumque continent obligationem aliquam, videl. pœnæ acceptandæ, si earum transgressoribus per Superioris præceptum imponantur. Cuiusmodi leges merè pœnales, id est, non sub culpa, sed ad pœnam duntaxat, si Superioris præcepto imponatur, sustinendam; multas etiam in ciuili Repub. esse, negari nò potest. Quænam autem eæ sint, ex materia, fine, modo ferendi, aliisque circumstantiis cognosci posse, dixi Theol. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 15.

Dixi autem supra: *Quarundam Religionum regulas (quatenus eæ non circa votorum obseruationem versantur) per se nò obligare sub peccato, v. g. Dominicanorû, Societatis nostræ. Sed neque in aliis Religionibus, v. g. Minorum de Obseruantia, omnia*

quæ in regula continentur, sub culpæ reatæ præcepta esse, tradidit Eman. Rodriq. regular. qq. q. 50. a. 1. Abbas hinc n. 2. & 3. Quare, quænam regulæ earundem Religionum sub peccato, mortali aut veniali obligent, & quæ non ita obligent, partim ex materia, fine, & verbis regulæ colligi debet; partim ex Maiorum traditione, consuetudine, & piorum hominum sensu ac persuasione. Vide etiam quæ docui Theol. mor. lib. 4. tr. 5. cap. 9.

CAPITVLVM V.

Ne innitaris.

SUMMARIVM.

Sacri canones à Patribus accepti, relicto proprio sensu, obseruari debent.

Sumptum est hoc c. ex Gl. ordinaria cap. 3. Prouerb. quæ explicans verba Salomonis cit. cap. v. 5. *Ne innitaris prudentia tua, subiecit; Prudentia sue innititur, qui eam quæ sibi agenda, vel dicenda, videntur, Patrum decretis preponit.* Hæc autem id eò à Gregorio IX. Pontifice allata sunt, vt iterum commendaret sacrorum canonum statuta, quæ à Patribus per Ecclesiæ traditione accepta, posthabito proprio sensu, Christianis omnibus obseruanda sunt, iuxta eam quæ supra dixi cap. 1. hoc tit.

CAPITVLVM VI.

Cum omnes.

PARAPHRASIS.

Canonici Ecclesiæ Trecentis statutum fecerunt, vt ipsi quidem, sicuti hæctenus in ecclesia illa consuetudo obtinuit, redditus percipiant etiam in absentia; siue nò residentes: at verò deinceps qui instituerentur Canonici, redditus non acciperent, nisi residerent. Statuerunt etiã, vt vineæ, quæ hæctenus singulis Canonicorum præbendis annexæ erant, suis quidem, dum viuerent, annexæ manerent, sin autem vitâ decederent, vineæ ad Successoras, seu nouos Canonicos non transfirent, sed earum redditus inter Canonicos omnes diuiderentur.

Vtrum